

ARTIC. III.

An logica Docens, & utens, realiter, an ratione distinguantur?

1. Sentent.

PRIMA sententia potest esse Magistri Vazquez 1. part. vt supra, qui asserens logicam vtemem esse actualem constructionem syllogismi, & aliarum secundarum intentionum, & logicam docentem esse habitum, consequenter asserere debet, vtranque logicam inter se realiter distingui. Sed non solum in hoc sensu, imo quod sunt duo habitus realiter distincti sic ostenditur. Primo habitus distinguuntur per actus: sed actus vtriusque logicæ distinguuntur realiter: ergo: probatur minor: nam actus logicæ docentis possunt esse sine actibus logicæ vtemis; vt si naturam syllogismi considerem, quin illum efficiam: & e contra: possunt esse actus logicæ vtemis sine actibus logicæ docentis: vt si in aliqua scientia aliquem syllogismum conficiam; quin eius naturam considerem, vt sæpe contingit: igitur tales actus realiter distinguuntur: ac per consequens, & ipsi habitus, à quibus procedunt.

1. Argum.

Secundo per actus logicæ vtemis produciuntur aliquis habitus: nam ex actibus frequentatis habitus generatur: sed talis habitus non est logica docens: ergo est logica vtemis.

Tertio illa distinguuntur realiter, quorum vnum potest esse abque alio: sed bene stat; quod aliquis facilliter syllogizet, quin recorderetur regulis logicæ docentis: & e contra, quod recorderetur; & non facilliter syllogizet. Igitur, &c.

Quarto vbi est additio vnius sine additione alterius; ibi est distinctio realis: sed deditus alijs scientijs non auget logicam docentem, sed vtemem: igitur est vnius additio sine additione alterius.

Vltimo. Obiecta specie distincta distinctos habitus causant: sed obiecta logicæ docentis, & vtemis sunt specie distincta: ergo: proba minor: nam ratio demonstrabilis constituit obiectum logicæ docentis, & ratio constructibilis constituit obiectum logicæ vtemis: sed has duas rationes patet inter se specie differre. Igitur, &c.

2. Sentent.

Secunda sententia asserit logicam docentem, & vtemem distingui inter se distinctione rationis cum fundamento in re, quam distinctionem vocant rationis ratiocinatæ. Ita Soto quæst. 2. Procem. Flandria 2. Metaphys. quæst. 5. artic. 2. Fonseca cap. 3. quæst. 1. lect. 6. Araujo quæst. 3. art. 2. concl. 3. Nauarrete 1. part. controuers. 10. & probatur primo. Nam inter vtranque logicam est aliqua distinctio: non realis: neque formalis, & ex natura rei. Ergo rationis, quæ cum desumatur ex ordine ad diuersos actus, erit cum fundamento in re ipsa.

1. Argum.

Secundo potentia vel habitus, qui concipiuntur, & nominantur diuersis nominibus ex actibus inadaquatatis, & ordine quodam se habentibus, distinguuntur ratione ratiocinata: huiusmodi est habitus logicæ, vt docens, & vt vtemis,

conceptus. Ergo: maior patet exemplo intellectus, qui secundum rem, & suam rationem formalem, dicitur practicus, & speculatiuus; scientificus, & ratiocinatus, solum quia respicit actus inadaquatos, & ordine quodam se habentes. Similiter eadem charitas secundum rem, & rationem, inclinatur ad dilectionem Dei, & proximi; & eadem virtus Religionis dicitur Religio, & Sanctitas. Ergo similiter idem habitus logicæ sine vlla distinctione ex natura rei, dicitur Docens, & vtemis, sed sufficit distinctio rationis cum fundamento in re.

Vltima sententia est communis apud nostros asserens inter vtranque logicam versari distinctionem ex natura rei, quam etiam teneatur nonnulli Discipuli Diui Thomæ, vt Pater Sanchez lib. 1. suæ Logicæ quæst. 9. conclus. 1. pro qua, & alijs multis tam in Logica, & Metaphysica, quam in sacra Theologia, iuxta mentem Doctoris nostri intelligentis, nonnulla de identitatibus, & distinctionibus dicemus. Quare.

Notandum primo, quod hæc tria Diuisio, Distinctio, & non identitas habent se sicut superiorius, & inferiorius; omnis enim Diuisio est distinctio, sed non e contra: quia Diuisio cum sequatur materiam, & quantitatem in solis rebus materialibus reperitur: Distinctio vero, cum sit passio entis distincta in omni ente tam materiali, quam spirituali datur: similiter omnis distinctio est non identitas; sed non e conuerso: quia distinctio cum sit entis passio tantum inter entia postitiua inuenitur: at vero non identitas non solum inter entia postitiua, & existentia; sed inter vnum ens positiuum, & alterum negatiuum, vt inter habitum, & priuationem; & inter vnum ens existens, & aliud non existens, vt inter Petrum, & Antichristum, versatur.

Ex quibus sequitur primo, quod non identitas, vt sic, non est idem, quod distinctio negatiua; nec est medium inter distinctionem, & identitatem (vt vult doctissimus noster Herrera in primo dilput. 14. quæst. 1.) sed est quid superius ad distinctionem positiuam, & negatiuam: si enim non identitas fuerit inter duo entia postitiua dicitur distinctio positiuam; si vero inter vnum ens positiuum, & alterum negatiuum, erit distinctio negatiua; ipsa vero, vt sic, abstrahit ab omni Distinctione, sicut superius à suis inferioribus.

Sequitur secundo, quod quando Doctor in primo dist. 2. quæst. 7. littera H H. Distinctionem, quam inter diuinam essentiam, & relationes concedit, vocat non identitatem, ibi non identitas non sumitur in particulari (vt optime ibidem notauit Tatarctus) sed vt est quid superius ad Distinctionem positiuam, & negatiuam: quod data opera fecit, vt Distinctionem formalem positiuam magis ostenderet; exemplo Aristotelis, qui primam substantiam per negationem notificauit; non ex eo, quod esset ens negatiuum; sed quia eius natura nobis magis innotescit: quare fallitur Herrera ex illo loco Doctoris concedes inter diuina attributa tantum Distinctionem formalem negatiuam ex eius mente, cum ibi nec tale Doctor somniauerit.

Vlti. sent. Doctoris.

Nota. 1.

Corol. 1.

Corol. 2.

Secundo

2. Not.

Secundo notandum: esse latum discrimen inter Rem, Realitatem, & formalitatem: nam Res proprie dicitur ens ratum, & firmum, quod solum est esse essentia, existentia, & subsistentia: Realitas autem proprie sumpra idem in abstracto significat, quod Res in concreto: ceterum si Res improprie, & large sumatur, Realitas, & formalitas idem importare videntur, vt patet per Doct. in quarto dist. 48. quæst. 3. in solutione argumentorum. Est igitur formalitas ratio conceptibilis ex natura rei: vel secundum Franciscum de Maioris: est quidditas vniuscuiusque rei, siue sit distinctibilis, siue non: vel elarius: formalitas est illud, quo aliquid est extra nihil: vnde omnia prædicata, quæ de aliquo enunciuntur, & quibus extra nihil constitutum intelligitur, formalitates dicuntur. Diciturque formalitas à forma, quæ est idem, quod actus: & omne, quod intelligitur, est ratio, & actus: quare Aristoteles secundo Physic. comment. 28. & quinto Metaphys. comment. 2. formam, rationem, & actum appellat: & idem ratio obiectiua, sub qua aliquid intelligitur, merito formalitas appellatur, & ab istis formalitatibus desumitur proprie distinctio formalis.

3. Notan.

Tertio notandum: idem, & diuersum, esse vnam passionem entis diuinctam, sicut vnum, & multum, simplex, & compositum: nam quamuis idem, & diuersum, seu distinctum, proprie in prædicamento substantia reperiantur, vt patet ex quinto Metaphys. comment. 20. attamen large, & extensue sumpra in omni prædicamento, imò & in diuini: dari possunt: iuxta illud ex 10. Metaphys. text. 12. omne ens omni enti comparatum est idem, & diuersum. Vnde sicut ens in sua prima diuisione diuiditur in ens reale, & rationis: sic de identitate, ac distinctione large dictis asserendum est; de quibus, quid sint, est nobis breuiter inuestigandum.

Nota.

Est igitur identitas rationis inter illa, quæ habent eundem conceptum omnino indistinctum ex parte rei, & ex parte intellectus: vt homo, species.

Distinctio rationis est inter illa, quæ præcise per actum intellectus distinguuntur: vt homo subiectum, & homo prædicatum. Aduerte tamè: quod hic distinguuntur identitas, & distinctio rationis sui esse sumpra; nam illæ, quæ fundantur in entibus rationis large sumptis, poterunt distincti eo modo, quo entia, & ad quæ sequuntur: de quibus erit sermo infra.

Identitas realis in communi prout ab identitate rationis distinguitur, est habitudo realis inter aliqua, quæ in aliquo tertio vniuntur, seu dicuntur vnum: nam vnitas est ratio proxima fundandi hanc relationem identitatis, non tamen est ipsa identitas; quidquid dicat Suarez in Metaphys. disp. 7. sectione 3.

Rursus; Identitas realis est duplex: alia realis proprie, alia realis formalis. Identitas realis proprie est habitudo vnitorum in aliquo vno tertio, in quo realiter vnitive continentur: quin vnum sit de conceptu alterius adinuicem, nec etiam tertij; in quo vniuntur, nec e contra. Et hæc rursus subdiuiditur: alia inter rem, & rem;

alia inter rem, & formalitates; seu inter formalitates adinuicem. Identitas inter rem, & rem, est, quando plures res existentes, siue subsistentes, vniuntur in aliquo tertio, siue tale habeat esse essentia seu natura communis, siue singularis, communicabilis tamen multis; siue illud tertium sit res existens, siue subsistens. Exemplum primæ identitatis patet in Petro, & Ioanne, qui sunt res existentes, & subsistentes, & nihilominus vniuntur, & sunt idem in natura humana communitatis: & hæc Identitas realis respectu graduum superiorum, in quibus inferiora dicuntur esse vnam, & idem; est proprie relatio realis ad primum modum relatiuorum spectans. Ad didimus ultra: siue singularis, communicabilis tamen multis; propter tres diuinas personas, quæ sunt res subsistentes realiter inter se distinctæ; & nihilominus ratione tertij, scilicet Essentia diuina, sunt idem realiter inter se, hæc identitate inter rem, & rem, prout sunt idem in tertio.

Exemplum secundæ identitatis non datur in nostra schola in rebus creatis: quia secundum Doctorem, quælibet res creata; etiam si sit accidens; habet propriam existentiam realiter ab alia existentia distinctam: datur tamen in opinione Diui Thomæ asserentis accidentia habere eandem existentiam subiecti; & ita necessario, secundum eum, sunt idem realiter cum subiecto identitate existentia.

Exemplum tertie identitatis patet in accidentibus in ordine ad subsistentiam subiecti: subsistunt enim eadem subsistentia, qua subiectum subsistit: & ita sunt idem identitate reali inter rem, & rem existens, ad vnum tertium subsistens, in quo identificatur. Et hæc duæ identitates sunt etiam relationes reales primi modi; prout primus modus fundatur in omni ente; distinguunturque realiter ab extremis: sicut ipsa extrema realiter inter se distinguuntur. Itaque cum istis Identitatibus prædictis (præter identitatem Personarum in Essentia diuina) Distinctio realis extremorum adinuicem reperitur: imò & ipsa extrema, ac tertium, in quo identificantur, realiter distinguuntur: non quod distinguantur secundum illam rationem, qua dicuntur idem; nam implicat esse idem realiter: verbi gratia, quoad subsistentiam, & in subsistentia realiter distinguuntur secundum aliam, & aliam rationem: vt patet per singulas discurrendo: Petrus enim, & Paulus inter se, & ab essentia, in qua identificantur realiter distinguuntur: & similiter albedo, & dulcedo in lacte: quare à Tatarcto in 1. distinct. 2. quæst. 4. ad primum principale, hæc Identitas realis appellatur secundum quid; quia vbi datur, potest dari separatio vnitorum.

Identitas inter rem, & formalitates, seu inter formalitates adinuicem, est habitudo aliqua rum formalitatum vnitarum in aliquo tertio habente esse simpliciter, siue essentia, siue existentia, siue subsistentia, cui quo ita vniuntur, vt nec inter se, nec ab illo separari possint.

Vel aliter: vt à formalizantibus solet diffiniri: illa sunt idem realiter, quorum vnum impossibile est separari ab alio abque contradictione: itaque impossibilitas separationis non proueniat à causa

Nota.

a causa extrinseca (coelum enim & motus realiter distinguuntur; & tamen naturaliter implicat unum esse sine alio ex Intelligentia perpetuo movente) sed debet provenire a causa intrinseca. Praterca: unum unitorum non debet esse respectu alterius originans, seu originatum: quare licet Pater indivinis sit inseparabilis a filio, non tamen est idem realiter filio. Tandem identificata non debent esse in diversis subiectis, ut accidit in relationibus, quae licet non possint non esse simul; non tamen sunt idem realiter, quia sunt in diversis subiectis: & illa, quae sunt idem realiter hac identitate, de qua loquimur, debent esse in eodem subiecto, & esse ab intrinseco inseparabilia, & unum respectu alterius non debet esse originans, seu originatum.

Rursus. Identitas formalitatum est multiplex: alia inter rem, & suos modos intrinsecos, quae dicitur identitas modalis, seu ex natura rei; & est minima Identitas inter identitates reales: alia est identitas formalitatum in univertio, quod est medium ipsas demonstrandi: de quibus intelligitur illud Axioma: quaeunque sunt eadem univertio, sunt eadem inter se: pro quo vide Doct. in primo dist. 2. quaest. 4. ad primum principale. Alia est identitas aliquorum non in aliquo univertio, quod sit medium, sed quia tale univertium illa sibi identificat; qualis est in divinis inter Essentialiam, & attributa, ac relationes. Et has identitates reales subdivisiones sufficit enumerasse; ad nostrum enim intentum sufficiunt: si quae enim super sunt faciliter ad istas reduci poterunt.

Identitas formalis, secundum Doct. in primo dist. 2. quaest. 7. littera H. H. sic notificatur. Voco, inquit, identitatem formalem, ubi illud, quod dicitur sic idem, includit illud, cui sic est idem; in sua ratione formali, & per consequens per se primo modo; seu in sua ratione essentiali, ut inquit dist. 8. quaest. 4. Itaque secundum hanc distinctionem Doctoris, identitas formalis datur solum inter superius, & inferius; ubi tantum datur primus modus praedicandi; & inferius habet eandem formalitatem superioris; homo enim est formaliter vivens, sensibile; sicut est animal. Vtrum autem inferius sit tantum idem formaliter superiori, vel e contra, superius inferiori: vel verumque sibi inuicem, controuersum est apud nostros. Primum asserunt Magister formalitatum, Sirectus, Mauritius, & Leuchetus in primo dist. 2. quaest. 4. ac illustrissimus Rada, 1. par. controuer. quarta. Secundum affirmant Antonius Trombeta in suis formalitatibus, & alij. Tertium tandem docet Pater Fabrus in suo tractatu formalitatum cap. 8. & 9. qui omnes fundantur in aliquibus locis Doctoris, quos refert Bargius explicans praefatam distinctionem identitatis formalis, & quamvis ipse omnes conciliare nitatur; quia eius concilium mihi non placet.

Nota.

Ideo notandum: quod superius, & inferius: verbi gratia, animal, & homo, dupliciter considerari possunt; vel praecise quatenus includens, & inclasum; vel large, quatenus secundum omnes formalitates suas sumuntur: verbi gratia, animal, non solum quatenus est vivens sensibile; sed quatenus est pluribus differentibus a parte

rei communicabile; & homo, non solum quatenus est animal; sed ultra; quatenus est rationalis.

Si primo modo considerentur: vera est opinio Fabri: nam sicut inferius includit superius; ita per locum ab activa ad passivam, superius includitur in inferiori, & utrunque eandem formalitatem dicunt; & hoc est verum concilium inter duas primas sententias. Si vero sumantur secundo modo, tunc nec homo est idem formaliter animali, nec e contra; & sic omnes verum affirmant.

Ex dictis de identitatibus realibus in particulari, faciliter quid sit dicendum de distinctionibus realibus eis oppositis apparebit. Distinctio igitur realis, ut distinctioni rationis opponitur; est habitudo aliquorum, quorum unum non est aliud in illo, in quo distinguuntur; estque medium negandi unum ab alio: & est duplex: alia propria, & rigorosa, alia realis formalis: Distinctio realis propria est habitudo aliquorum, quorum unum nec est, de conceptu alterius; nec in aliquo tertio univertur: & est multiplex: vel est inter essentialia; & dicitur distinctio essentialis: vel inter existentias, & subsistentias completas; & regulariter dicitur distinctio realis: vel inter duas existentias incompletas: ut inter materiam & formam; vel inter unam completam, & alteram incompletam, ut inter naturam, & subsistentiam.

Distinctio realis formalis est habitudo aliquorum, quorum formalitas unius non est de conceptu formalitatis alterius; licet cum hoc in aliquo tertio univertur, & identificentur: & per hanc ultimam particulam haec distinctio distinguitur a distinctione reali propria: & est etiam multiplex. Alia quidditativa, quando formalitates dicuntur quidditates; qualis datur inter divina Attributa: Alia modalis, quae datur inter rem, & suum modum: Alia ex natura rei, quae proprie consistit in diversis rationibus terminorum unius indivisae, siue indivisibilis rei, circumscripto tamen omni opere intellectus; qualis datur inter distinctionem, & diffinitum. Alia dicitur formalis absolute; ut illa, quae datur inter Rem, & formalitates: siue formalitates dicantur quidditates, siue non; ut distinctio inter subiectum, & passiones. Alia tandem dicitur formalis negativa, ut distinctio, quae datur inter habitum, & privationem. Et haec de identitatibus, & distinctionibus pro nunc dicta sufficiant. Dum modo aduertatur: cum identitate reali non posse dari distinctionem realem respectu illius rei, circa quam datur identitas; nec cum identitate formali posse compati distinctionem formalem; bene tamen cum identitate reali posse dari distinctionem formalem: quia haec inter se non opponuntur.

Nota.

Pls. nota.

Ultimo notandum: quod in habitu logicae haec omnia considerari possunt: primum est ipsamet essentia habitus, ut sic; quatenus est quoddam ens absolutum ad praedicamentum qualitatis pertinens: secundum est ipse habitus; quatenus ex se a parte rei est aptus ad considerandam naturam sui obiecti, illiusque passiones demonstrandum: & secundum hanc considerationem

nem dicitur logica docens habitualis, quae ad actum reducitur per actualem sui obiecti speculationem: tertium est ipse habitus, quatenus ex se, & a parte rei est etiam aptus ad applicandam suum obiectum sibi, & alijs scientijs: & ut sic est logica utens habitualis, cuius actus est actualis usus, & applicatio. Vade difficultas non procedit de logica primo modo: nam ut sic est una entitas realiter, & formaliter, solumque radicaliter dicitur docens, & utens: sed intelligitur de logica, quatenus cum illa duplici aptitudine consideratur; an scilicet, ut sic, distinguatur tantum ratione formaliter.

1. Conclus.

Dicendum primo. Praeter Distinctionem realem proprie dictam, & Distinctionem rationis, concedenda est Distinctio realis formalis, secundum suos gradus, quos retulimus. Haec est Doctoris locis relatis, & omnium suorum ibidem, & passim alibi; statuiturque contra Thomistas ubique de hac Distinctione agunt; & contra Nominales, & Agidianos: & probatur primo Auctoritatibus Philosophi, qui cap. de qualitate ait: quod idem calor numero, qui est de prima specie qualitatis, ut est dispositio, est de tertia; ut est passibilis qualitas: sed certum est, quod idem numero calor est idem realiter; & tamen ponitur sub diversis speciebus. Ergo: oportet ponere diversas rationes formales, seu obiectivas; per quas sub diversis speciebus reponatur: nam sub eadem ratione implicat idem ad diversas species pertinere.

Secunda auctoritas est ex tertio Physicorum comment. 21. ubi dicitur: quod actio, & passio cum idem significant realiter in numero, habent tamen quod quid est, alterum, & alterum distinctum: sed Distinctio, per quod quid est, arguit distinctionem formalitatum: ergo cum eadem essentialiter fiat Distinctio formalitatum.

Tertia auctoritas desumitur ex 4. Metaphy. cap. 3. & ex 1. Topicorum cap. 1. ubi dicitur: quod ens, & unum, sunt eadem natura; distincta vero ratione quidditativa: sed hoc est distingui formaliter. Igitur.

Dices: Aristotelem in his locis sumere rationem, quatenus est Distinctio per intellectum.

Contra: magis distinguitur ens ab uno, quam ens ab ente: sed ens ab ente distinguitur per intellectum: ergo ens ab uno ibi maiori Distinctione distinguitur: sed talis est Distinctio, de qua loquimur. Ergo.

Secundo arguitur ratione Theologica, ex Doct. in 1. Dist. 8. quaest. 4. in Deo, ante quaecumque operationem intellectus; reperitur intellectus, & voluntas, secundum proprias rationes formales: alioquin quando dicimus filium produci per intellectum, & Spiritum Sanctum per voluntatem, hoc non esset quid reale, sed quid intentionale: & sic Trinitas, & emanationes essent quid intentionale, & nostro intellectu non considerante, Pater non produceret filium per intellectum: quod est haereticum: ex quo sic: intellectus & voluntas distinguuntur in Deo: sed non realiter proprie, nec per intellectum tantum: ergo ex natura rei formaliter. Minor quo ad primam partem constat: quod ad secundam sic ostenditur: si

intellectus, & voluntas in Deo solum per intellectum distinguerentur, sequeretur quod a parte rei, idem esset principium filij, quod est Spiritus Sancti: & ita quando dicimus filium produci per intellectum, & Spiritum Sanctum per voluntatem, haec diversitas esset tantum per nostrum modum intelligendi, & a parte rei, non minus posset dici Spiritum Sanctum produci per intellectum, & filium per voluntatem: quia ista duo principia essent solum ratione distincta: sed ista sunt erronea: quia ex eis sequitur, productiones, & emanationes illas esse entia rationis. Ergo necessario fatendum est distingui a parte rei non realiter proprie: ergo large, & formaliter.

Respondet Dominus Caietanus dicens: quod distinguuntur a parte rei formaliter fundamentaliter; non vero formaliter actualiter.

Contra: intellectus, & voluntas in Deo distinguuntur fundamentaliter; & non actualiter: Ergo filius formaliter actualiter non producit per intellectum; nec Spiritus Sanctus formaliter actualiter per voluntatem: imo cum intellectus, & voluntas sint idem formaliter actualiter a parte rei, Spiritus Sanctus formaliter actualiter dicitur produci per intellectum, & filius per voluntatem: patet consequentia. Idem actualiter formaliter; & non idem actualiter formaliter sunt contra traditoria: ergo si intellectus, & voluntas in Deo a parte rei sunt idem actualiter formaliter; quia ratione dicimus filium produci per intellectum, & Spiritum Sanctum per voluntatem; poterimus dicere Spiritum Sanctum produci actualiter formaliter per intellectum, & filium per voluntatem.

Aliter: praedictis argumentis respondetur ab alijs per distinctionem illam, de distinctione rationis ratiocinantis, & ratiocinatae: intelliguntur enim (inquiunt) de Distinctione rationis ratiocinatae; non vero ratiocinantis: sed talis Distinctio non est a parte rei actualiter positiva; ut putat Scotus; sed tantum fundamentaliter: & ita actualiter est Distinctio per intellectum.

Sed contra: dicitur illa distinctio rationis ratiocinantis, & ratiocinatae, vel est sine fundamento; vel nostra fauet assertioni. Primum sic ostendo: divisum, quod est Distinctio rationis; ut opponitur Distinctioni habenti esse praeter operationem intellectus; habet esse per intellectum: quia inter habere esse per intellectum, & non habere esse per intellectum non cadit medium: ergo membra diuidentia illius debent esse entia rationis: sed Distinctio rationis ratiocinatae est a parte rei: ergo non diuidit Distinctionem rationis, seu per intellectum: imo diuidit distinctionem realem: ac per consequens talis fuga, seu diuisio est sine fundamento.

Secundum sic demonstratur: si verum datur talis Distinctio a parte rei fundamentaliter: necesse est fatendum est, dari a parte rei, & distingui illa, inter quae datur; ita ut a parte rei unum non sit de conceptu alterius; sed hoc est distingui formaliter. Igitur, &c.

2. Conclus.

Dicendum secundo. Logica Docens, & utens non sunt duo habitus realiter proprie distincti: haec est contra primam sententiam, & est communis, & Scoti illis, quam Thomistis: & probatur primo. Entitates non sunt sine causa multiplicata

Dub. nota bile.

da: sed sufficit idem habitus realiter ad iudican- dum de natura syllogismi; & ad applicandum illum alijs scientijs: igitur dicere vtranque logi- cam esse duos habitus realiter distinctos est vlti- muliplicare entitates sine necessitate: probatur mi- nor: na ex eo, quod aliquis nouit naturam syllo- gismi, facillime illum poterit applicare alijs scie- tijs: sed hoc est munus logicæ vtentis. Ergo, ad hunc actum non requiritur alius habitus, ab illo, qui docet construere syllogismum.

Secundo, habitus non tribuitur potentie nisi ad tollendam eius difficultatem in operado: sed postea habitu logicæ docentis in intellectu, nulla sibi superest difficultas ad aliquod instrumentum sciendi conficiendum in alijs scientijs. Ergo super fluit habitus logicæ vtentis: probatur minor: nam sciens, quomodo aliquid fit faciendū, statim prom- pte in actum, & operatur illā cognitionē, quā habet de re operabili, quin aliquo alio egeat: vt ex perentia constat, Igitur.

Tertio habitus logicæ vtentis, quem ponitis distinctū realiter ab habitu logicæ docentis, non potest acquiri actibus distinctis ab actibus, qui- bus acquiritur habitus logicæ docentis: igitur nō distinguuntur realiter: antecedens probat: nam si distinctis actibus acquiritur, inquiri, a quo habi- tu elicitur? Si ab habitu logicæ vtentis? contra: implicat esse habitum logicæ vtentis ante habi- tum logicæ docentis. Si ab actibus non proceden- tibus ab habitu? Contra: quia tales actus erunt logicæ naturalis, & cum isti præcedant omne ar- tificiale, ex 2. Physicor. text. 39. producent habitū vtentem naturalem; & non artificialem anteceden- tem habitum logicæ docentis; qui quidem habitus vtens naturalis erit imperfectus, non se- quens regulas logicæ docentis: ac per consequens non erit logica vtens, de qua loquimur: sed im- proprie dicitur talis, vt notauit Mauritius in præ- senti, difficultate sexta.

Dices: quod producitur ab actibus logicæ docentis, licet cum difficultate, qui postea fie- quentati generant logicam vtentem.

Contra: habitus sequitur naturam actus, & e contra: ergo talis habitus ab illis actibus gene- ratur erit logica docens: ac per consequens in- tentum: quod non realiter proprie distinguun- tur.

3. Conclu.

Dicendum tertio. Logica docens, & vtens non distinguuntur rationis ratiocinantis Distin- ctione: hæc etiam est communis: & probatur ar- gumentis pro secunda sententia adductis.

Vlt. concl.

Dicendum vltimo: logica docens, & vtens distinguuntur ex natura rei formaliter: hæc est Doct. vt patet in littera: vbi logicam Docentem, & vtentem distinguit per procedere ex proprijs principijs ad proprias conclusiones; & per ap- plicationem ipsius logicæ ad alias scientias, in quo ostendit eundem habitum habere a parte rei hoc duplex munus: sed hoc est distingui ex natura rei. Ergo: Quæ quidem conclusio manet probata notabili vltimo; quo etiam responderetur argumentis secundæ sententiæ, quæ tantum pro- bant logicam Docentem, & vtentem non distin- gui formaliter absolute; sicut homo, & risibile; nam duæ realitates huiusmodi non reperiun-

Ad argu- menta se- cundæ sen- tentiæ.

tur in logica, ratione quarum Docens, & vtens appelletur: non tamen probant non distingui ex natura rei, quæ est minima Distinctio inter Distinctiones formales: nam ad hanc Distin- ctionem sufficiunt duæ illæ aptitudines, quas a parte rei in logica reperi diximus: maxime quia Distinctio illa fundamentalis, quam hæc sententia assignat inter vtranque logicam, ead- dem est cum Distinctione, quam assignamus in quo sensu debet intelligi Magister Sanchez, & Auctores sententiæ nostræ.

Ad argumenta primæ sententiæ responde- tur: ad primum dico: quod habitus distinguun- tur per actus, tanquam per quid extrinsecum manifestatiuum: intrinsecè enim, & formaliter distinguuntur per suas rationes intrinsecas ab- solutas; vt docet Doctor in primo dist. 7. 13. & 27. & quæst. 13. quodlib. quare non est necessa- ria tanta Distinctio in habitu, quanta est in actū; vt patet in potentia voluntatis, in qua non da- tur tanta Distinctio, quanta datur in actibus ab ea elicitis: quia cum identitate causæ stat Distin- ctio realis effectus.

Ad secundum nego maiorem: nam actus generans habitum non solum se tenet ex parte potentie; sed præcipue ex parte obiecti, & ma- teriæ, circa quam potentia versatur (ided enim dicitur, quod actus distinguuntur per obiecta) & cum actus logicæ vtentis tantum se teneat ex parte intellectus: nam logica vtens est concan- sa, per quam intellectus constituitur in esse pri- mo; vt simul cum obiecto possit actum scienti- ficè elicere: idè non generabit habitum, nisi se- cundum naturam obiecti, cum quo concurrat: quare cum obiecto Philosophiæ habitum Phi- losophiæ generabit, & sic de reliquis: sicut enim actio solis cum homine generat hominem, & cum Leone, Leonem: ita actus logicæ vtentis, cum sit concursus quidam generalis concu- rrens ad acquisitionem perfectam omnium scien- tiarum, generabit habitum; prout ab actione ob- iecti limitatur: effectus enim, non causa vniuer- sali, sed particula. i. assimilatur.

Ad tertium nego minorem: nec facilitas syl- logizandi: prout prouenit ab habitu logicæ ar- tificialis: est maior in vno, quam in alijs: si acti- bus æqualibus acquiratur; bene tamen si proae- niat à logica naturali, & meliori organorum dis- positione: sed tunc non est logica vtens, de qua loquimur.

Secundo, distingo minorem, possunt separari quoad actum: concedo: quoad habitum, ne- go minorem: sed tunc nihil contra nos.

Ad quartum, nego minorem: nam sicut ad secundum diximus, tantum augetur habitus ille, cuius obiectum concurrat cum intellectu ad actum scientificum.

Ad vltimum, nego minorem: nam vt aliquod obiectum causet sub diuersis rationibus habitum distinctum: verbi gratia, homo sub ratione mo- bilis habitum Physicæ, & sub ratione sanabilis habitum Medicinæ; debet cum potentia concurre- re, vt partialis concausa: non vero debet concu- rere, vt concausa tenens se tantum ex parte potentie per modum se alteri applicantis, vt ac-

Ad primam primam sen- tentiam.

Ad secun- dam.

Ad tertiam.

Ad quartam.

Ad vltimam.

cidit

cidit in proposito: nam quodcumq; instrumentū sciendi, vt est quid applicatum, non concurrat cum intellectu, tanquam obiectum causans sui cognitionem; & idè non generat habitum dis- tinctum.

ARTIC. III.

De Logica sit scientia, et docens,

vel vt vtens?

LOGICAM esse scientiam omnes fe- re Antiqui, & Moderni tenent, cū Do- ctore, contra Alexandrum ab Alexan- dia, & Egidium de Roma, & alios: sed quoad quam partem, docentis videlicet, an vtentis sit scientia; non omnes cum eo conveniunt.

1. Sentent.

quare est prima sententia omnium terè Græco- rum, quos sequitur Cardinalis Zabarella lib. 1. de natura logicæ cap. 3. asserens logicam non esse scientiam in quantum docentem, sed in quantum vtentem: & vtranq; partem assignant contra Doct. quarum primam probant primo. Omnis scientia est de obiecto necessario, & æterno; ex Arist. lib. 6. ad Nichomachium cap. 3. & ex 1. Post. cap. 2. at logica docens versatur circa ens rationis, quod est contingens, & solummodo à nostro intellectu fabricatum, quo cessante, cessat ipsum ens ratio- nis. Igitur logica non est scientia.

1. Argum.

Secundo omnis facultas, quæ pro scopo, & fi- ne habuerit, non cognitione, sed effectione, non scientia; sed ars est appellanda: logica est huiusmo- di: quia docet efficere syllogismum, & quodeun- que aliud instrumentum sciendi: complexū: ergo non scientia; sed ars erit appellanda.

Confirmat.

Tertio, omnis scientia præsupponit suū ob- iectum præcognitū duplici præcognitione, quid est, & quia est, ex 1. Post. sed logica docens nec non præsupponit; quia docet nos aliquam eius partem construere; scilicet syllogismum: ergo non est scientia.

Confirmatur ex Arist. 1. Priorum in principio secunda, & tertie sectionis, vbi asserit se genera- tionem syllogismorum docere, scilicet, quomodo fieri sunt, & quomodo à nobis facile fieri possint: ergo ex hac parte non est scientia.

Quarto, arguit Baldus: logica Docens, & vtens sunt idem formaliter: ergo si secundū Sco- tum, logica vtens non est scientia; etiam nec logi- ca Docens. Antecedens probatur. Logica Docens est actus primus, vtens vero est actus secundus: sed actus primus, & actus secundus, non differunt nisi ratione; cum conueniant in ratione subiecti: ergo logica Docens, & vtens sunt idem subiecto, & solū ratione differunt: ac per consequens: si vna non est scientia; nec etiam altera.

Quinto, idè logica Docens, secundū Scotū, est scientia: quia in ipsa sunt demonstrationes: hoc autem est falsum: igitur. Falsitas minoris ostenditur: quia illa demonstratur, quæ per se sunt ignota, ex 1. Post. quia scientia est de nouo: id est, de rebus, quas prius non noueramus: sed res logi- cæ non sunt vniuersaliter ignotæ: quia sunt ab in-

tellectu; & quæ sicut Artifex sunt nota illi: ideo res logicæ non prius sunt, quæ nos atur: & sic non sunt vniuersaliter ignotæ, sed semper notæ: ac per consequens non est scientia de illis.

Vltimo arguit tribus argumentis, quæ pro par- te contraria adducit Doct. in littera: & contra so- lutionem tractatam ad primū, sic inquiri: illud in est formaliter aliquid, quod est ratio formalis: huiusmodi: sed esse instrumentum est ratio formalis ip- sius logicæ: ergo esse instrumentū sciendi per se, & formaliter conuenit logicæ: & sic illa, propo- sitio: logica est modus sciendi, est vera formaliter, & non tantum materialiter; vt exponit Scopus: minor probatur ex 1. Topic. cap. 9. vbi dicitur: quod quæ docentur in logica sunt instrumenta admiculantia alijs scientijs: ex quo habetur, quod modus considerandi logicæ est instrumentum: tunc sic. Sed modus considerandi logicæ est ratio formalis logicæ: ergo de primo ad vltimū, illa propositio est vera formaliter.

2. Pars p- batur.

Secunda pars probatur à Zabarella vbi ca- pit. 5. cui subscribit Pater Didacus à Iesu in sua logica quæst. 5. conclus. 3. Primo, logica in tantum est scientia, in quantum parit scientiam: sed solum cum applicatur alijs scientijs, parit scientiam: ergo vt applicata, & in vtu posita, est scientia: maior est Arist. 9. Topic. vbi ait: logicam partim parere scientiam; partim non: parte non parit scientiam; sed quatenus applicatur alijs scientijs, cuius auxilio scientiæ dicuntur: ergo non vt Docens, & per se sumpta, est scientia; sed vt vtens, & alijs scientijs applicata.

Secundo arguit Didacus à Iesu. Logica vtens est idem habitus, ac docentis; prout docendo fa- cilitat ad vsum: sed docet scientificè: ergo facili- ter ad vsum scientificè: vt faciliat ad vsum est vtens: ergo vt vtens est scientia.

Tertio vtens etiam dici potest; prout in tra- denda doctrina modi sciendi, & formarum disse- rendi, eisdem formis, & modis vtitur: sed demō- strationem elicere, & formare, est actus scientiæ: ergo etiam vt vtens est scientia.

Quarto, logica Docens, & vtens, sunt idem habitus: quia logica Docens omnes actus intel- lectus, etiam cuiusuis alterius scientiæ dirigit: er- go si ad executionem, & vsum actuum, quos lo- gica Docens dirigit, alius habitus logicæ vtentis ponetur; fieret, vt actus omnium scientia- rum ab hac logica effectiue producerentur: ex quo sequeretur rursus: quod quilibet Assensus, aut opus scientificum cuiusuis scientiæ à dupli- ci habitu fieret; ab habitu, scilicet, logicæ vtentis, & ab habitu illius scientiæ, ad quæ propositio ratione materiæ pertinet: quod est absurdum: ergo.

Vltimo, logica vtens, qua ratione est vtens; habet aliquem actum: sed ille non est actus Opi- nionis, nec fidei, nec Artis, nec Prudentiæ, nec Intellectus: ergo est actus Scientiæ. Ac per con- sequens intentum.

Secunda, & opposita sententia est fere om- nium Doctorum, his temporibus, cum Doctore in præfati: pro qua notandum ex eodem q. 1. prologi. Et in 3. Dist. 22. quæst. vñica littera D. & in Reportatis ibidem. Quod scientia capitur

2. Sentent. Doctoris.